

us potus, nam æstuant nonnumquam adeò, ut videantur planè extorrefieri. Rigorosi nonnulli sunt & malè procedunt, qui illis omnem denegant potum.

Talis sit potus, qui refrigerat effervescentem sanguinem. *Alii* AQUAM SIMPLICEM commendant, ex autoritate *Hippocratis & Galeni*. *Nobis* tamen hæc pura non arridet, sed in locum ponimus AQUAM COCTAM cum hordeò, pasulis & pomò citri, superiùs delineatam.

CEREVISIÆ bonæ famæ hordeaceæ, non ex triticò coctæ, laudantur. Omnibus præripit palmam Numburgensis, & illa, quæ Halis Saxonum adpellatur *Keiderling*. Intritum panis filigineî in cerevisiam frigidam, eine *Biermehrde* / concedimus lubenter. Medicata cerevisia ex radice scorzonera, cichorii, CC. philosophicè vel Δ apertò calcinato, vel etiam rasurâ ejusdem, terrâ sigillatâ, additò modicò \ominus \oplus \ddagger re correcti laudes meretur magnas.

VINUM nullò modò ante statum, præprimis biliosis temperamentis; pituitosioribus verò pro ratione circumstantiarum $\acute{\omicron}\lambda\iota\gamma\omicron\Phi\acute{\omicron}\epsilon\gamma\upsilon$ tenue, quod parùm fert aquæ, succò citri permistum in pauca præberi poterit quantitate. In declinatione largiùs conceditur.

Alia diætandi ratio per chirurgiam infusoriam, à suprâ laudato *Job. Daniele Majore* proponitur, quæ & hîc locum habere potest, cùm ægrotantium os, lingua & palatum reverberio quasi fuerint accensa, ægrotique neque medicamenta, neque alimenta vel potulenta assumere possunt.

CAPUT LVIII

leges diætæ vitalis & animalis adnectit.

VITALIS diætâ requirit AEREM ad frigiditatem & humiditatem inclinantem, temperatum tamen. Domus vel locus si naturâ